

Christian Ehrenfried Eschenbach

**Vniversitatis Rostochiensis Rector Modernvs, Christianvs Ehrenfried
Eschenbach, Med. Prof. Et Urbis Pol. De Viribvs Medicamentorvm Qvaedam
Proponens, Nato Mvndi Servatori Sacros Dies, Omni Cvltv Pio Transigendos,
Cives Academicos Hortatvr**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1783?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877343853>

Druck Freier  Zugang






T. 512.

1783. Weihn.

~~M-1256. 421. a.~~

25. Decbr. 1783.

VNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS RECTOR
MODERNVS,
CHRISTIANVS EHRENFRIED
ESCHENBACH,
MED. PROF. ET VRBIS POL.
DE
VIRIBVS MEDICAMENTORVM
QVAEDAM PROPONENS,
NATO MVNDI SERVATORI
SACROS DIES,
OMNI CVLTV PIO TRANSIGENDOS,
CIVES ACADEMICOS
HORTATVR.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

h. 1256 421. a.

UNIVERSITÄT ROSTOCK

LIBRARY

CHRISTIANUS ERNSTIUS

ETHNICUS

MDCCCLXXXIII

DE

PHYSICIS

OPUS

PHYSICIS



SACRIS

OMNIBUS

ARTIBUS


HONORARIIS



ROSTOCKIENSIS

LIBRARIIS

1850



edicamenta sunt corpora naturalia; e tribus naturae regnis, vegetabili nimirum animali et minerali conquista, quae, corpori humano admota, in eodem mutationem produciunt, et quidem eam, ut illius status in meliorem convertatur. Opponuntur, quoad hunc effectum, partim *venenis*, partim *alimentis*: quorum *illa* pariter mutationem corpori humano, eidem applicata afferunt, at talem simul, quae ipsius conditionem reddit pejorem; haec nullam plane mutationem relinquunt in corpore humano, quod attingunt, quippe deperditis per varia corporis emunctoria humoribus restituendis solummodo apta.

Mutationem dictam *medicamenta* singula, propter nexum, qui inter corporis humani partes solidas fluidasque, quae ambae ipsum componunt totum, intercedit intimum, in utriusque generis partes inducunt quidem: hinc quodlibet medicamentum duplici gaudet virtute, quarum in solidas partes exferit alteram, alteram in fluidas. Interim virtutem suam primario ac praecipue quaevis *medicamenta* vel edunt in *solidas*



das corporis partes, sicque tantummodo secundariam atque mediatam in fluidas; vel immediate ac primario agunt in fluida corporis, nec nisi secundario in solida. Imo et dantur medicamenta, pluribus adhuc, quam duabus, instructa viribus.

Medicamenta, ratione applicationis, in interna distinguuntur et externa. Priora assumuntur ore, et, una cum addito ut plurimum vehiculo quodam deglutita, in ventriculum, ac porro in intestina pertingunt, ut per vasa lactea sanguini tradantur, ejus circuli beneficio ad partem aegram deferenda, quo exoptatum ibidem exferant effectum. Iisdemque, praeter vehiculum, varii, durante itinere, liquores admiscuntur peregrini, qui variis, iisque aliquando contrariis inter se invicem, viribus instructi ipsi, medicaminis virtutem facillime aut alterare possunt diversimode aut tollere, saliva nimirum, liquor gastricus, bilis, liquor pancreaticus, saliva intestinorum, lymphæ, atque sanguis. Posteriorum plurima corporis humani partem, cui destinantur, immediate attingunt, adeoque et quoniam peregrini nihil ante contactum iis accedit, omni, qua pollent, vi applicata agunt.

Interna medicamenta, teste experientia, vim possident, vel roborantem, vel relaxantem, adstringentem, aperientem, calefacientem, refrigerantem, attenuantem, incrassantem, evacuantem; hancque ultimam aut sternutatoriam, aut salivantem, bechicam, vomitoriam, purgantem, lithontripticam, emmenagogam, diaphoreticam, sudoriferam, anthelminthicam; vel denique evacuationes sistentem. Atque ex his primario et immediate in corporis humani partes solidas agunt roborantia, relaxantia, et adstringentia, atque evacuantium nonnulla; reliqua singula in fluidas partes efficaciae portionem praecipuam et immediatam exferere creduntur.

Roborantia motum solidorum intendunt, ac eo ipso, mediate, fluidis quoque velociorem circuitum communicant, idque omne perficiunt leni, quam exercent in fibras, irritatione. Atque huc spectant quaevis amara, aromata, aromatica. acria mitiora, vinosa, spirituosæ et salia, adeoque revera medicamentorum officinalium potior portio. Salia adhuc, celi

ceu ceteris fortiora, manifestam facile inducunt irritationem, propterea et nonnullis speciatim *irritantia* dicta, *).

Relaxantia, praecedentibus contraria vi gaudentia, motum solidorum minuunt, sicque secundo, sanguinis et reliquorum humorum motum reddunt pacatiorem, ac simul fibrarum irritabilitatem infringunt: id quod praestant mucilaginosa, oleosa, et anodina, ac ex his ultimis praesertim opiata.

Adstringentia, vasorum atque canalium orificia hiantia, constringendo eadem, reddunt angustiora, eorumque mitiora nonnulla fluidorum cohaesionem minuunt, fortiora e contrario illam adaugent. Huc referuntur, quaecumque saporem adstringentem degustata linguae imprimunt, partim vegetabilia, partim his fortiora mineralia; nec non terrea, quae lenissime omnium, et vix aliter, quam exsiccando, agunt.

Aperientia dicuntur, quaecumque humores, in canaliculis propter nimiam crassitiam haerentes, loco movere, sicque canaliculos obstructos referare possunt: quae vis mineralibus nonnullis ob particularum componentium gravitatem specificam adscribitur, antimonialibus nempe, martialibus et mercurialibus. Ex hisce simul liquet, aperientia primario agere in corporis humani fluida, nec canaliculorum apertionem esse, nisi effectum secundarium et mediatum. Aperientia adhuc fluidis, ac mediate solidis, majorem imprimunt motum.

Calefacientia, fluidorum, in specie sanguinis, motum, tam intestinum, quam progressivum, accelerando, corpori majorem communicant calorem; nec alia sunt, quam antea narrata roborantia, quae ceu calefacientia considerata, et posthabita actione immediata eorum in solida, pro medicamentis

*) Quaedam singulatim sint amara, aromata, aromatica, rel. jam non additur. Nominatim ea narrata prostant in auctoribus, materiam medicam pertractantibus. Selectum quoque habet, quoad interna medicamenta, *Pathologiae meae* §. II. sqq., quoad externa, *Chirurgiae meae* §. 9. sqq.



tis, primario in corporis humani fluida agentibus, assumuntur. Ex iisdem speciatim gratiora, utpote aromata et vinosa, *cordialium* nomine veniunt; quae enim olim hoc nomine insigniebantur, lapis bezoar, margaritae, aurum, aliaque pretiosa et ex iis parata, hodie, quoad confortandi scopum, negliguntur.

Refrigerantia fluidorum motum retardando, calorem in corpore, aut ejus parte quadam, praesentem minuunt, quam virtutem exserunt aequa et acida. Ultima haec simul et fluida condensant, et in solidis irritationem ejusque confectaria producant.

Attenuantia fluidorum cohaesionem minuendi vim possident, suntque, jam jam narrata inter roborantia, amara, aromata, aromatica, acria mitiora; atque, *incidentia* quoque speciatim dicta, salia; praetereaque aperientia singula.

Incrassantia cohaesionem fluidorum augent, quae virtus acidis, refrigerandi etiam facultate praeditis, tribuitur, nec non spirituosis.

Evacuantium alia manifesta irritatione, sicque partis, in quam agunt, motu aucto, atque hunc sequente abundantiori secretionem, finem suum exsequuntur. Sic irritationem producant sternutatoria in membrana pituitaria, salivantia in ore, vomitoria in ventriculo, purgantia in intestinis, diuretica et lithontripica in renibus. Alia, contrario plane modo, irritabilitatem partis affectae, sicque ejus motum nimium ad naturalem reducant, quod faciunt bechica. Alia adhuc aucto sanguinis et humorum circulo agunt, utpote diaphoretica, sudorifera, et emmenagoga. Alia denique causae morbificae speciatim opponuntur, ut anthelmintica.

Evacuationes sistentia nuncupari solent medicamenta, quae virtutem possident secretionem aliquam immodicam compescendi. Ejusmodi vero medicamenta, directe agentia, non dantur, nisi contra salivationem, vomitum et purgationem. In *is* namque secretionibus praesens irritatio anodinis et ad-

strin-

stringentibus tolli se patitur : quae ipsa vero adversus reliquas evacuationes omni destituuntur effectu salutari.

Externa medicamenta virtute gaudent, vel emolliente, vel anodina, vel constringente, balsamica, repellente, discutiente, irritante, cathaeretica, corrosiva, caustica, vesicante, humectante, exsiccante, vel denique sanguinem sistente. Singula etiam haec, solis discutientibus ac balsamis exceptis, et primario agunt in humani corporis partes solidas, et omni sua vi agendi impedimentum haud ullum experiuntur, cum partem corporis aegrotam, in qua vim edere suam debent, sive laesam in vulnere ac ulcere, sive illaesam, immediate, nec cum alia quadam re permixta, tangant.

Emollientia fibras, propter tensionem nimiam justo duriores, relaxant: id quod exsequuntur, aquea, olea expressa et cocta, pinguedo et lac animalium, itemque mucilaginosae; imprimis sub cataplasmatum forma calide applicata singula, aut unguentorum, emplastrorum, balneorum vaporosorum, fomentationum, balneorum et infusuum, compositionem ingredientia. Quoad balnea vero et infusua simul annotari meretur, quod effectus emolliens non nisi post eorundem usum accedat. Durante namque usu cutis, quousque corpus aquae, aut alii cuique liquori blando, immergitur, fortiter comprimitur potius, adeo ut et vasa cutis sanguifera, compressione hac angustiora reddita, alias consuetam sanguinis portionem haud admittant, sed ejus copiam quandam ad viscera, quippe a compressione libera, amendant, sicque in iisdem morbum, plethoram scilicet specialem, ejusque consecutaria, producant.

Anodina virtus; id est, vis, sive tensionem fibrarum maximam, rupturae proximam, cui relaxandae emollientia sunt imparia; sive irritabilitatem earundem, minuendi; nonnullis tribuitur vegetabilibus, quae ideo emollientibus, praesertim in cataplasmatum forma adhibitis, adduntur. Anodina interim alia ratione efficaciam testari suam nequeunt, quam immittendo in vasorum absorbentium ope, effluvia sive particulas salubres in partem corporis, cui admoventur. Ast et sic, pari modo ac medicamenta interna, sanguini admiscuntur, et, per totum



corpus diffusa, minimam virium portionem loco dolenti communicant; adeoque, quae emollientibus creduntur efficaciora, his non possunt non, quoad effectum, debiliora esse.

Adstringentia partim eadem sunt, quae hoc titulo insignita, inter medicamenta interna leguntur; partim eorum fortiora externo potissimum usui dicantur, quae simul humores, e laesis canalibus prodeuntes, condensant.

Balsamorum nomine venientia balsama naturalia, et ex his diversimode composita, arte facta balsama, nec non mitiora gummata et resinae, humores e laesis canalibus profluentes condensant, ipsosque hos canales lenissime constringunt, proptereaque in vulneribus et ulceribus proficua, in quibus adstringentium, proprie dictorum, virtutem optime juvant.

Vasorum minimorum constrictionem promptius adhuc, et in gradu notabiliore, prae adstringentibus, ac simul humorum, in iis contentorum, affluxus imminutionem, perficiunt. *Repellentia*: quem titulum possident singula actu frigida, eaque aut liquida, ac ex iis praesertim acida mitiora, aut solida corpora, e. g. metalla. Singula tamen non nisi corporis superfici, caetera illaesa, admoventur, cum, contra ea, adstringentia pro utriusque generis fibris, tam laesis, quam illaesis, quadrent.

Discussientia haerentem in canaliculis, propter crassitiam justo majorem, sanguinem, aut alium quendam humorem, attenuant, sicque et vascula ab obstructione liberant, et humori, jam fluidiori, circuitum denegatum reddunt, ac simul, paucissimis exceptis, vasculorum, et per consequens liquidorum, motum leni irritatione, quam exercent, intendunt. Atque hunc praestant effectum, aromata et aromatica quaevis, gummata grato odore praedita, omnis generis salia, si fortissima excipiantur, tandemque spirituosa, sicque potior pars in antecedentibus commemoratorum roborantium. Et, quoniam e plantis aromaticis, huc referendis, quaedam pauca, adstringentem, aliaque pauca anodinam, exerunt virtutem, discussientia subdividi merentur in *discussientia irritantia*, *discussientia adstrin-*

adstringentia, et *discutientia anodina*. Verum et ex his simul liquet, discutientia, qua talia, etiamsi loco affecto admoveantur, quoniam humorem, in quem agere debent, attingere nequeunt, haud alio, quam quo interna medicamenta agunt, modo virtutem edere suam, id est, eorundem particulas salutare per vasa absorbentia in sanguinem penetrare, ejus circuli beneficio parti aegrotae tradendas. E quo iterum sequitur, ut fomentationes et cataplasmata, e commemoratis discutientibus parata, et discutiendi sine in usum ducta, scopum propositum magis exsequantur calore, quo gaudent, quam ingredientium virtute.

Irritantia, propter effectum specialem in promovendo abscessu *maturantia* quoque dicta, majori, quam discutientia, adeoque manifesta, irritatione, et fibris solidarum partium, quas tangunt, consequenter fluidis etiam, majorem imprimunt motum, ac ultimorum ad partem tactam congestionem producunt: suntque, vegetabilia et gummata graveolentia, resinae, olea destillata, ac quaevis fermentationi provocandae apta.

Cathaeretica, absumendis fibris in ulcere justo mollioribus destinata, id efficiunt irritatione excitata ea, ut fortior suppuratione sequatur: atque huc pertinent decocta herbarum amararum, mel, spirituosae fortiora, salia haud nimium acria, mercurialia quaedam, et olea empyreumatica. Idem, consumptionem scilicet omnimodam fibris quibuscunque illaesis adducunt *Caustica* sive *Corrosiva*, omnium irritantium fortissima, quo nomine veniunt spiritus minerales acidi, eorumque olea dicta, salia fortissima, mercurialia efficaciora, lapis infernalis.

Vesicatoria ope irritationis, quam excitant in parte, cui admoventur, non modo rubedine eam afficiunt brevi, sed etiam, paulo diutius commorata, vesicam sero repletam elevant; idque praestant vegetabilia quaedam acria, et praesertim cantharides.

Humectantem vim edunt, sicque a tensione nimia fibras liberant, aquea, nec non olea expressa. Huic contraria, id est,



exsiccante, virtute gaudent adstringentia vegetabilia, in forma pulveris in usum ducta.

Sanguinem sistentia sive *styptica*, laesorum in vulnere aut ulcere vasorum sanguiferorum orificia parula constringunt partim, partim sanguinem, effluxum molientem, incrassando ac coagulando, obturant. Atque haec perficientia generatim eliguntur e classe adstringentium, quorum interim non nisi pauca in hunc finem in usu sunt.

Hoc loco adhuc notanda sunt sequentia:

I. Haecenus commemorata medicamenta in compluribus morbis, tam internis, quam chirurgicis, opem ferunt. Vana interim est opinio nonnullorum, qui sibi persuadent, dari medicamenta adversus unumquemque morbum. Sunt namque et morbi, extra medicinae limites positi, e. g. suppuratio viscus quoddam obsidens, et nata exinde febris hectica; ortus in viscere aliquo scirrhus, polypus cordis et arteriarum majorum, hydrops pericardii; haemorrhagia in loco, quem externa medicamenta attingere nequeunt, etc.

II. Medicamentum, morbo fugando destinatum, non modo virtute polleat, necesse est, morbi causae et effectui contraria, ita ut, si e. g. morbus nimiam humorum consistentiam pro fundamento habeat, aut eam inducat, medicamentum vi gaudeat attenuante; roborante autem vel irritante, si morbus oriatur a fibrarum atonia sive defectu irritabilitatis. Sed etiam virtutis gradum aut possideat morbi gradu superiorem, aut usus protractione sufficienti acquirat. Frustra namque aegrotus impatiens, post unam alteramve medicamenti dosin assumptam, levamen optatum illico haud percipiens, a medico aliud quoddam remedium exposcit minus lentum, cum temporis quoque habenda ratio ad medendum requiratur.

III. In medicamento composito, id est, e pluribus conflato ingredientibus, si convenientia remedia contrariis instructa viribus, hae virtutes contrariae se invicem destruant: ita ut nullum plane medicamen superfit si eadem ponantur utrobi-

utrobique aequales; illius autem ingredientis superstes serve-
 rur virtus aliqua, quod altero majorem virtutis quantitatem
 secum adduxit; e. g. si rhabarbaro = 4 quod alvum, irritatio-
 ne in intestinis excitata laxat, addatur opium, quod irritatio-
 nem in primis viis tollendo alvum claudit; aut aliud quoddam
 adstringens, = 4, remedium hocce neque laxans erit neque
 alvum claudens, adeoque ejus effectus erit = 0. Si autem
 rhabarbaro = 6 addatur opium = 4 tunc medicamen exsar-
 get laxans = 2; et contra ea remedium claudens = 2, si jun-
 gantur rhabarbarum = 4 atque opium = 6. Pari ratione si
 commisceantur in potionem, sive sic dictam mixturam, (cu-
 jusmodi mixturae, refrigerandi scopo in aestu febrili, frequen-
 tes in auctoribus pathologicis praescriptae leguntur) aqua
 florum tiliae, sambuci, ceraforum (cum amygdalis et semine
 papaveris facile in emulsionis formam redigendae), lapides
 cancri, tartarus vitriolatus, nitrum, et singularum classium in-
 gredientia supponantur virtute aequalia; neglectis, quibus
 aqua florum tiliae et sambuci abundant, particulis subtiliori-
 bus, diaphoresi excitandae aptis; habebitur medicamentum
 refrigerans (aquae), simul vero et calefaciens, (tartarus vitrio-
 latus et nitrum, quae, ceu salia, irritant, ac per consequens
 calefaciunt, licet nitro in specie vim refrigerantem adscribant
 auctores tantum non omnes) nec non lenissime adstringens
 (lapides cancri); quin et, si emulsionis formam obtinuerit, ano-
 dinum (amygdala et semen papaveris).

IV. Medicamentum simplex, id est, quod ex unico in-
 grediente constat, quoties morbo profligando sufficiens ali-
 quod datur, praeferreri meretur composito. In hoc ultimo
 enim destructio quaedam virtutis, ipsiusque nonnunquam pri-
 mariae, propter vires cujuslibet medicaminis plures, evitari
 vix ac ne vix quidem potest, estque evitatu eo minus possibi-
 lis, quo numerosiora medicamentum componunt ingredientia.

V. Quodsi medicamento, ceu virtute plus una instru-
 cto, vis quaedam adhaereat, intentioni primariae medici
 impedimentum afferens, ea addito alio medicamine, ad id
 apto,



apto, destruitur : e. g. aloë et virtute gaudet emmenagoga, et alvum laxante. Posito quod vis emmenagoga requiratur, atque laxans propter praesentem aut metuendam diarrhoeam nociva habeatur. In hoc casu adstringens quoddam aut anodinum admiscetur, vim aloes laxantem tollens; quo facto emmenagoga superest sola.

VI. Medicamentum, quod non nisi beneficio circuli sanguinis ad locum affectum pervenit, quemadmodum id de internis singulis dictum, per totum scilicet corpus diffusum, locum istum, solummodo attingit singulis momentis quantitate, proportionem respectu totius alente eam, quam habet partis aegrotae moles respectu corporis universi; e. g. si morbus occupet renem, et ren supponatur centesimam perficere totius corporis partem, medicamenti adversus morbum assumpti portio non nisi centesima, eodem tempore, in renem aegrotum ager.


VII. Medicamenta interna in ore, ventriculo et intestinis, externorum medicaminum vices gerunt. Has enim corporis humani partes immediate attingunt, antequam in sanguinem recipiuntur.


VIII. Ad stabiliendam medicamenti contra hunc vel illum morbum virtutem, minime sufficit sola observatio, quod aegrotus morbo isto decumbens medicamentum adhibuerit, et convaluerit. Probandum potius est, secundum regulas materiae medicae, argumentis solidis, et experientia rite facta, medicamentum viribus instructum esse, morbi effectui contrariis, eodemque et gradu morbi, omni casu usus protractione sufficienti mediante, superioribus.



P. P. SVB SIGILLO RECTORALI,
DIE 25. DECEMBRIS, 1783.









utrobique aequales; illius autem ingredientis superstes fervetur virtus aliqua, quod altero majorem virtutis quantitatem secum adduxit; e. g. si rhabarbaro = 4 quod alvum, irritationem in intestinis excitata laxat, addatur opium, quod irritationem in primis viis tollendo alvum claudit; aut aliud quoddam adstringens, = 4, remedium hocce neque laxans erit neque alvum claudens, adeoque ejus effectus erit = 0. Si autem rhabarbaro = 6 addatur opium = 4 tunc medicamen exsurgat laxans = 2; et contra ea remedium claudens = 2, si jungantur rhabarbarum = 4 atque opium = 6. Pari ratione si commisceantur in potionem, sive sic dictam mixturam, (cujusmodi mixturae, refrigerandi scopo in aestu febrili, frequentes in auctoribus pathologicis praescriptae leguntur) aqua florum tiliae, sambuci, cerasorum (cum amygdalis et semine papaveris facile in emulsionis formam redigendae), lapides cancri, tartarus vitriolatus, nitrum, et singularum classium ingredientia supponantur virtute aequalia; neglectis, quibus aqua florum tiliae et sambuci abundant, particulis subtilioribus, diaphoresi excitandae aptis; habebitur medicamentum refrigerans (aquae), simul vero et calefaciens, (tartarus vitriolatus et nitrum, quae, ceu saba, irritant, ac per consequens calefaciunt, licet nitro in specie vim refrigerantem adscribant auctores tantum non omnes) nec non lenissime adstringens (lapides cancri); quin et, si emulsionis formam obtinuerit, anodinum (amygdala et semen papaveris).

IV. Medicamentum simplex, id est, quod ex unico ingrediente constat, quoties morbo profligando sufficiens aliquod datur, praeferrere meretur composito. In hoc ultimo enim destructio quaedam virtutis, ipsiusque nonnunquam primariae, propter vires cujuslibet medicaminis plures, evitari vix ac ne vix quidem potest, estque evitatu eo minus possibilis, quo numerosiora medicamentum componunt ingredientia.

V. Quodsi medicamento, ceu virtute plus una instructo, vis quaedam adhaereat, intentioni primariae medici impedimentum afferens, ea addito alio medicamine, ad id apto,

